





40.

DISSERTATIO INAUGURALIS  
DIÆTETICO-MEDICA  
EXHIBENS NONNULLA  
DE  
**P R A V O**  
**CARNIUM MURIATICA-**  
**RUM NUTRIMENTO.**

QVAM  
SUB DIVINI NUMINIS AUSPICIIS  
CONSENSU GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ

PRÆSIDE  
**JOH. FRID. CARTHEUSER,**

MED. DOCT. ET PROF. PUBL. ORD.  
FACULT. SUÆ h. t. DECANO

PRO GRADU DOCTORIS  
RITE ATQUE LEGITIME IMPETRANDO

DIE III. JULII MDCC XLIV.

H. L. Q. C.  
PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI  
SUBMITTET

**JOHANNES FRIDERICUS BAUTZE,**  
Crosnâ - Silesius.

---

FRANCOFURTI ad VIADRUM,  
Typis MARTINI HUBNERI.





DISSERTATIO INAUGURALIS DIÆTETICO-  
MEDICA.  
EXHIBENS NONNULLA  
DE  
PRAVO  
CARNIUM MURIATICARUM  
NUTRIMENTO.



§. I.

Ita corporis animalis, ac vege-  
ta ejusdem sanitas, unaniimi om-  
nium, qui medicorum mecha-  
nicorum castra sequuntur, suf-  
fragio, à perenni, determina-  
to, & harmonico partium soli-  
darum ac fluidarum motu, seu  
à mutua, regulari atqve proportionata solidorum ac  
fluidorum actione & reactione dependent : Unde  
fit, ut continua molecularum abrasio atqve dissolu-

A 2

tio,

tio, continua per apta organa se - & excretio contingat; quæ uti corpus à præmaturo interitu præservare, sic pariter destruere valent, nisi partium, attritu & excretione ablatarum, nova atque quotidiana per alimenta restauratio, uno verbo, nova nutritio superveniat. In publicis quidem medicorum monumentis non pauca inediæ diuturnæ exempla occurunt, at illa temporariæ duntaxat, neutquam verò perennis, à cibo & potu abstinentiæ possibilitatem ostendunt, & magis præterea, cum illa subjecta, si nullæ intercesserint fraudes, certo plerumque morbo correpta fuerint, ad præternaturalem animalis œconomia statum referri merentur, nec di-  
ctis ideo suum demunt valorem.

## §. 2.

Habita ratione alimenti & viarum, nutritio corporis vel *sensibilis* dicenda est sive *crassior*, vel *insensibilis* sive *subtilior*. Hæc alimenti spirituosi, atque tenerrimi, in atmosphæra ambiente circumvagantis, invisibili per cutis universæ & pulmonum poros inhalatione peragitur; illa verò manifestam esculentorum ac potulentorum crassiorum postulat adsumptionem, quæ per se tamen ac sibi relicta, corpori immediatè nutriendo nondum apta inveniuntur, sed multiplici prius, quam per vascula minima distribui, & partibus, mixtione, textura, structura diversis, adponi queant, præparatione, tum syncrisi, tum diacrisi absolvenda, indigent.

## §. 3.

Alimenta conservata vel ex *animali* vel *vegetabili*  
regno

regno desumuntur, & quoad saporem, texturam, ac totum habitum externum existunt diversissima, etiamsi intuitu veræ substantiarum nutrientis non adeo distincta videantur, quippe quæ in quibusvis animalis prosapiæ alimentis *blanda gelatina* aut *temperata pinguedo* est, & in vegetabilibus, siue sint radices, sive herbae, semina, fructus &c., *dulcis, subdulcis, mucilago*, aut *oleum ungvinosum mitissimum*. Hæ substantiarum masticationis & chymificationis ope per congruos liquores salivales solvuntur, extrahuntur, ac, debite in ventriculo resolutæ, quoad portionem spirituosalam atque subtiliorem statim è prima culina, adeoque via brevissima, per hiantia ventriculi vasa bibula & inhalantia venosæ originis, quorum existentiam alibi pridem demonstravi a), ad humores circulantes properant, vel in duodeno demum chyli, per majores ambages ad sanguinis massam transvehendi, compositioni impenduntur.

## §. 4.

Quadrupedum, avium, piscium &c. carnes, esui destinatae, vel *recentes* sunt, vel *infumatae*, vel *sacharato, aceto aut sale condita*. Sacharum in India, ubi, ob proventum cannæ sachariferæ uberrimum, vilioris pretii est, in nostris verò, & plerisque Europæ regionibus reliquis *sal communis fontanum, fossile, aut marinum*, nunc purum omnino, nunc nitro aliquantis per-

A 3

re-

a) In Diff. de Perenni aeris subtilioris per corpus humanum circulo.

remixtum, & subinde pariter, quanquam rarius, *accetum* ad carnes condiendas adhibentur. Nitrum, ceu singulare sal medium, ideo sali culinari modica quantitate additur, ut carnibus gratiorem conciliet rubedinem, & simul quoque, ob majorem, quâ pollet, virtutem antiputredinosam, brevi alias supervenientem corruptionem avertat.

## §. 5.

Respetu salubritatis notabile carnes recentes, infumatas & muria conditas discrimen intercedit. *Recentes*, præsertim animantium juniorum, coquendo aut assando debitè præparatae, reliquis in hoc passu longè præferri merentur. Facilius enim, ob texturam molliorem ac rariorem, in ventriculo resolvuntur ac subiguntur, & solubilis quoque ac nutriendis substantia pinguis aut gelatinosa, fibris compactioribus glutinis quasi loco interjecta, subdulci sapore, temperata item ac blanda indole gaudet, adeoque etiam succum nutritium præstantiorem largitur.

## §. 6.

Hisce salubritate cedunt *carnes infumatae*, quæ ob texturam compactiorem, paullatina ipsis exsiccatione inductam, difficillimè resolvuntur, & rancida præterea pinguedine ac gelatina, partibus terreo-salino-oleosis empyrevmaticis, seu, uno verbo, fuliginosis, interstitiis ac poris successive sub fumigatione immersis, abundè referta, instruetæ sunt. Laudatae quidem partes fuliginosæ heterogeneæ, quæ ter-

terram, sal volatile urinosum & oleum empyreumaticum in sua fovent mixtione, carnis singularem quendam & hominibus plerisque non ingratum, conciliant saporem, at simul tamen etiam carnes duriores, ineptioresque ad resolutionem reddunt, & peregrinum prorsus characterem nutrienti substantia imprimunt; unde fit, ut postea chylus crudior ac minus salubris inde generetur. Hæ ipsæ igitur modica saltem quantitate ac rarius, etiamsi sapor subinde plus justò arrideat palato, commedenda, vel iis hominibus, qui robustis gaudent ventriculis, & corpora sua motu frequenti, aut quotidiano ac duriori labore exercent, relinqvendæ erunt.

## §. 7.

Longè deterioris adhuc conditionis aestimandæ sunt *carnes muria condite*, & adhuc magis *muriatica*, h. e., diu in falsilagine relictæ. In hisce enim substantia nutritiens pinguis atque gelatinosa, præsertim intrante aere humido ac calido, corruptionis labem contrahit, & communī visus, odoris atque saporis testimonio, in acre, fœtidum ac semiputridum mutatur liquamen. Non paucos quidem, hæc legentes, illicè dicturos scio, sal commune carnes à putredinosa corruptione defendere; at illis respondeo: sal culinare in corporibus ad putredinem pronissimis, (cujus census etiam animantium carnes sunt), imminentem putredinem ad tempus quidem avertere posse, postea autem eam, corrodendo ac nimum dissolvendo compagem, magis promovere, quin ipsum

ipsum tandem resolvi, destrui, & in sal urinosum,  
 quod putredinis progenies, ac freqvens vice versa  
 materialis ejusdem caussa censendum est, maxima  
 ex parte transformari. Præter alios complures in  
 hoc passu etiam consentientem habeo BECHERUM,  
 qui in *Physica sua subterranea* <sup>a)</sup> ita de hisce scribit:  
 „ In sale pinguedo , oleum seu sulphur quoddam  
 „ flagrans & ardens est, in destillatione strias ut spi-  
 „ ritus vini faciens, sed non sufficienti humiditate  
 „ mixtum: Hinc corpora, quibus miscetur, arripit,  
 „ seque iisdem miscet. Et hæc est ratio, quod so-  
 „ leamus in quotidiano usu salem edere, ut nempe  
 „ crassiora digerantur, & resolvantur : Sed cum  
 „ nimium eo utimur, necessariò salis acrimonia mixti  
 „ animalis compagem solvit & corrumpit : imo in  
 „ hoc passu, si humiditas superveniat, in horrendam  
 „ putredinem dicit,,.

## §. 8.

Non merè cerebrinos commemorata partus  
 esse, sed veritate niti, variis comprobari poterit  
 observationibus & experimentis: Ne tractatio ta-  
 men contra scopum præsentem evadat prolixior,  
 nonnulla saltem, quæ ipsam salis mixtionem pristinam,  
 incipiente & protracta sociati corporis putre-  
 dine, destrui, idemque successivè maxima ex parte  
 in sal urinosum transformari confirmant, hac vice  
 placet afferre. Sal commune v. g., in recenti urina  
 humana, justa tamen quantitate, solutum, urinæ pu-  
 tre-

trefactionem, si ea in loco calido collocetur, non prohibet, sed ipsum potius temporis progressu resolvitur & maxima ex parte in sal volatile urinosum mutatur. Quando enim urina memorata destillationi subjicitur, phlegma, sal volatile urinosum & oleum foetidum reddit, & in capite mortuo parum amplius salis medii culinaris reperitur, quippe quod urinosis quantitatem notabiliter auxit, quod inde liquidò patet, quod urina, cum sale culinari putrescens, plus salis urinosis, quam urina putrida pura, largiatur. Notum quoque est, aquam marinam stagnantem tandem in aere libero ac calido putrescere, posteaque destillatam salis urinosis pauxillum reddere, immo, chemicos, aliosque naturæ scrutatores attentos latere nequit, quod sal culinare, terris putridis nitrosis mixtum, paullatim dispareat, & salis urinosis pinguis proventum adeo augeat, ut ita præparatæ terræ acidum aeris vagabundum multo largius attrahant, & copiosius ideo in illis nitrum embryonatum generetur.

## §. 9.

Suppositis hisce', ac simul ad testandum adlocuto odore & sapore carnium muriaticarum semi-putrido, non amplius dubitandum erit, sal culinare initio demum putredini resistere, postea autem, nimia præsertim quantitate adhibitum, eam in carnis humidis magis magisque promovere & carnes ideo, in muria diu relicias, seu muriaticas re vera nutrimentum suppeditare corruptum, acre ac semi-putridum, qvod sanitati, si esus cumprimis continu-

B

atus

atus accedit, labem affricare valet gravissimam.  
 Quid majus enim, quam putredo, animantium vivis  
 corporibus minatur periculum? Quid certius autem  
 ab esu harum carnium diuturniori, quam putredo  
 humorum, exspectandum? Succi profecto semipu-  
 tridi, acres, rancidi <sup>a)</sup>, in ventriculo extracti, ibi-  
 dem-

<sup>a)</sup> Pingves & ungvinoso-oleosæ substantiæ, majori  
 ingestæ copia, facile, & longe adhuc facilius, si  
 dudum ante adsumptionem, uti plerumque in car-  
 nibus pingvibus tūm infumatis, tūm muriaticis,  
 aliquantulum rancidæ existant, eminentem in ven-  
 triculo, præsertim debili, rancorem & acrezinem,  
 cum nauseosa ac biliosa propemodum amaritie, con-  
 trahunt; quemadmodum hæc suo pariter testimo-  
 nio Excell: HALLERUS in Notis ad Institutiones med.  
*Boerhaavianas* confirmat: „Olea enim, pag. 210.  
 „ scribit, (& ita quoque pingvedines ceu olea un-  
 „ gvinosa coagulata), ob copiam suam, aut inertiam  
 „ ventriculi, sequentia spontaneas suas mutationes,  
 „ rancescunt, indolem induunt ovi putridi. Si ad-  
 „ sumseris butyrum frixum, insolita copia, neque  
 „ superbiberis potus acidi, quod sufficiat, abibit in  
 „ liqvamen acre, putridum; plane simile illi, quod  
 „ ex butyro in aëre tepido, hand diligenter adser-  
 „ vato, viridescente crusta obducitur, & acerrime  
 „ rancescit. Ex eo liqvamine, in ventriculo sta-  
 „ gnante, adscendunt ructus, urentes, amarissimi  
 „ & regurgitat materia inflammabilis, quam per-  
 „ peram solent Bilem vocare. Similis omnino pu-  
 „ tredo oritur ex lardo vetere, ovis non recentis-  
 „ simis, aut affatim adsumptis, piscibus pingvibus &c.  
 „ Sed bilem male vocari, ideo adparet, quod Bilis

demque magis à salubri indole recedentes, ac degenerantes ad pejorem, liquorem gastricum valde corrumpunt, digestionem hac ratione debilitant, adeoque nauseam, ruetum amaros, nidorosos, mortificantes, dyspepsiam, dysorexiā, quin adpetitum penitus subinde depravatum, ac picac & malaciā simillimum, producunt. Contingere quoque potest, ut cruditates pituitoso-semiputrida, temporis successu largius adcumulatae, vermium generationi & multiplicationi ansam praebeant. Ovula enim infectorum quorundam, cum alimentis nonnunquam in ventriculum delata, in massa ejusmodi putrescente optime foventur, vermiculi citè ac facile excluduntur, & exclusi, ob commodum domiciliū & grati pabuli copiam, non sine insigni sanitatis détrimento, ad notabilem intra breve tempus magnitudinem excrescunt.

## §. 10.

Sed, hæc leviora damna sunt: Pravum enim hoc carnium muriaticarum liquamen semiputridum, ad humores circulantes transvectum, longè majores noxas corpori infert, dum systasin, mixtionem naturalem & blandam ac temperatam sanguinis & lymphæ indelem deturpat, & prima iis putredinis feminia ingenerat, quibus deinde toni solidorum de-

B 2

cre-

---

„ qvidem ignem injecta extingvat, quem rancida „ materia alit. Neque facile nascitur in robustis „ corporibus & biliosis; facillime in debilibus, hy- „ pochondriacis, & qvibus Bilis iners est, &c.

ravissimam.  
uentum vivis  
ertius autem  
am putredo  
eo semipu-  
tructi, ibi  
dem  
  
iae, majori  
facilius, si  
ue in car-  
nuriaticis,  
m in ven-  
redinem,  
tie, con-  
testimo-  
niones med.  
pag. 210.  
u olea un-  
ut inertiam  
mutationes,  
idi. Si ad-  
pia, neque  
abit in  
e illi, quod  
enter adser-  
& acerrime  
triculo sta-  
amarifissimi  
quam per-  
minno pu-  
recentis-  
gibus &c.  
quod Bils

crementum, se- & excretionum imminutio, & acrum ac mucidarum impuritatum adcumulatio, cum fermenti urinoso-oleosi genesi uberrima, succedere debent: Unde non mirandum, quod inde tandem, esu continuato, & aliis pariter caussis procatarcticis adæquatis casu accendentibus, scorbutus, febres putridæ malignæ, fœdissimi affectus scabiosi, & alii complures nascantur. Vera enim, testante experientia medica, putredo humorum incipiens formalem, & impuritas quædam urinoso-oleosa subtilis, per universam sanguinis massam disseminata, materialem febrium malignantarum caussam constituit: Et in scorbuto quoque & deterioribus atque rebellibus adfectibus scabiosis, non acidum coagulans, aut simplex falsedo, uti nonnulli opinantur, sed copiosæ impuritates falso-mucidæ, oleoso-urinosis putridis plus minusve remixtæ, caussæ materialis præcipuæ vices gerunt.

### §. 11.

A reto itaque tramite non recedunt, sed veritate satis fundatam tuentur sententiam, qui scorbutum & putridas ac sàpè malignas febres, quibus per ingentia oceanii spatia ad regiones globi terrae remotissimas navigantes frequentissimè corripiuntur, ex quotidiano propemodum ac diurno carnium muriaticarum esu deducunt; maxime, si in traëtus perveniant, ubi ob ingentem solis fervorem carnium corruptio notabilia incrementa capit. Non statuo quidem, solam hanc caussam in hoc passu ad-

adclusandam esse, credo tamen, eandem militare inter primarias. Reliquæ enim, ut esus carnium infumatarum, potus aquæ sub zona torrida putrescentis & vermis quandoque refertæ, itemque calor intensissimus, defectus motus &c., licet multum quoque ad prædictarum ægritudinum genesin & augmentum conferant, præcedenti tamen, quæ in carnium muriaticarum esu diurno consistit, non præferendæ certè, sed potius ex parte postponendæ erunt; præsertim cum habeamus compertum, quod scorbutus nautas, per maria frigida ad boreales regiones proficiscentes, frequentissimè pariter invadat, & deteriora nonnunquam sanitatis incommoda provocet, etiamsi ibi locorum de aquæ frigidæ recentioris penuria aut plenario defectu, de intensiori item aeris ambientis calore querimonias gerere nequeant. Quod alibi igitur, semel præsente prava humorum qualitate, per corrupta alimenta successivè inducta, calor intensior fortius comovendo efficit, alibi gelu intensius, transpirationem periphericam minuendo, adeoque dispari aliquantulum ratione, efficere videtur. Calor enim dissolutionem putredinosam promovet, & frigus excretiones minuendo saburræ, mucidæ, falsæ, semiputridæ, oleoso- urinosæ, preventum auget, adeoque hoc æque atque ille, cæteris paribus, scorbuti genesi favet.

## §. 12.

Ex esu frequenti ac diurno carnium nimium falitarum, quarum præcipuæ omnino censendæ erunt

erunt muriaticæ, persæpe etiam, ut supra pridem  
 dixi, rebelles adfectus scabiosi, qui ipsam lepram  
 non raro æmulantur, propullulare cōsverunt.  
 Salculinare enim, nimia copia corpori illatum,  
 humores à corruptione non præservat, sed præ-  
 ternaturaliter dissolvit, adeoque putredini, acce-  
 dente cum primis semiputrido alimento, viam pan-  
 dit. Prælaudatus BECHERUS mecum eandem fo-  
 vet sententiam, quando, scabiei malignæ, in *Bava-  
 ria* quasi endemiacæ, mentionem faciens, ita scribit:  
 „In sale aliquid mercuriale latet, quod causticæ &  
 „exedentis naturæ est; hinc qvi sale nimio vescun-  
 „tur, salsis catarrhis, scabie, scorbuto, & lepra  
 „tandem vexantur, qvod nimius salis usus corpus pu-  
 „toscere faciat, sicut modicus à putredine præler-  
 „vat. Cujus rei experientiam in navigationibus  
 „videmus: ubi longus salorum ciborum usus scor-  
 „butum inducit. Et certe hic in *Bavaria*, ubi ob  
 „salis copiam, & leve pretium, plebei cibos suos  
 „fortissimè saliunt, atque ita se à putredine præser-  
 „vari credunt, in periculosos morbos, imprimis le-  
 „pram, incurrint; quâ infectorum per totam *Ba-  
 variam* magnus numerus est. Et licet quidem  
 „suillæ carni adscribant, qvâ incolæ frequentius  
 „vescuntur; ego tamen salis nimium usum assigno,  
 „quod & in aliis locis carne suilla frequenter ho-  
 „mines vescantur, nihilominus à lepra immunes.  
 „Magnum ergo usum, sed & magnum incommodum  
 „sal affert, si in putredinem abeat; quæ non sim-  
 „plex est, sed ob admixtam corrosionem, fermentum

„tum universo sangui*n*i imprimit, omneque sal  
„microcosmicum corrosivum, & in proprium cor-  
pus furere facit. &c.

## §. 13.

Benignius paullò judicium de carnis, muria recentissimè conditis, quin plane ab eodem diversum de carnis, aceto aut sacharo conditis, ferendum erit. Carnes enim recentius muria conditæ, vel nullam adhuc, vel non adeo singularem tamen putredinis labem contraxerunt, & ideo, cum sola tantum falsedine nimia aliquantulum noceant, tam insigne, quam muriaticæ, detrimentum in corpore humano creare nequeunt, nisi quoad quantitatem & adsumptionis frequentiam gravior fortassis excessus committatur. Carnes aceto, præprimis vini, conditæ, cum corrigens suum, principium videlicet acidulum antiputredinosum, secum ferant, neque falsedine eminenti, neque putrila-gine noxam corpori inferre, & locum proinde, nisi difficilioris forsitan sint resolutionis, inter satis bona fercula sibi vindicare possunt. Sacharo denique conditæ adhuc præstantiores existunt, dum sacharum, tanquam singulare concretum sulphureo-seu ungvinoso-salinum, certo respectu balsamicum, carnes melius, quam sal culinare, à putredine defendit, & crasin earum, qvum ipsum in sua mixtione non alteretur, nullo planè modo alterat: Qvemadmodum peculiarem hanc virtutem ipsi quoque fructus horæi, dulces, subdulces & acidulo-dulces, ad fermentationem primo vinosam, postea putredino-

ra pridem  
m lepram  
vererunt  
i illatum,  
sed præ-  
ni, acce-  
viam pan-  
undem fo-  
in Bava-  
a scribit:  
usticæ &  
velcun-  
& lepra-  
pus'pu-  
oræler-  
onibus  
us scor-  
, ubi ob-  
bos suos  
e præser-  
primis le-  
otam Ba-  
c quidem  
sequentius  
n affigno,  
enter ho-  
immunes.  
modum  
non sim-  
fermen-  
,,tum

dinosam alioquin pronissimi, quando sacharo conduntur, & diu hac ratione immunes à corruptione persistunt, satis superque confirmare videntur. Multis quidem eminentior carnium hujusmodi dulcedo displicet, at vitio huic, si illas, antequam coquuntur, saltem per noctem, aut horas viginti quatuor in aqua simplici pura macerare velint, facile mederi possunt.

## §. 14.

Quemadmodum alii nimiam dulcedinem in carnis sacharo conditis temporaria in aqua simplici maceratione minuunt, sic alii quoque simili, quamquam diuturniori, maceratione, vel etiam cum aqua ebulliente, in qua ad tempus relinquuntur, suscepta, fœtorem, putrilaginem, & nimiam falsedinem in carnis muriaticis minuere & emendare student: Veruntamen fine suo nunquam perfecte potiuntur, multo minus his modis salubrem illis indolem conciliabunt. Sub frigida enim maceratione, licet protrahatur per biduum, aqua ad interiora, ubi æque ac in cortice exteriori putredinosæ corruptionis vestigia occurrunt, perfecte penetrare nequit, & posito etiam, illam, præprimis sub temporaria ac breviori maceratione in aqua ebulliente, postea cum extracta salsa & corrupta gelatina rejicienda, ad centra fructorum penetrare, & salsum ac semiputridum liqyamen gelatinosum penitus, vel maxima tamen ex parte, extrahere, carnes muriaticæ tamen desideratam salu-

aro conditio-  
corruptionem  
tur. Mul-  
di dulcedo  
m coquan-  
ti quatuor  
facile me-  
  
n in car-  
simplici  
i, quan-  
cum a-  
ur, su-  
m false-  
nendare  
perfecte  
prem illis  
macera-  
aqua ad  
riori pu-  
perfecte  
, præpri-  
one in a-  
a & cor-  
orūm pe-  
amen ge-  
x parte,  
sideratam  
salu-

salubritatem nunquam perfecte recuperabunt. Memorata enim substantia gelatinosa simul cum sale extorta, nutriendi facultate maxima ex parte spoliatur, & nil fere, nisi massa iners, mucido fibrosa, remanet, quæ, dum difficillimè resolvitur, ventriculum gravat, & cruditatum genesi, præsertim, si illæ ipsæ sæpius & quantitate majori ab hominibus, debili ventriculo præditis, ac vitæ sedentariæ atque otio deditis, comedantur, ansam, adeoque etiam variis morbis chronicis, quorum radix plerumque in primis viis quærenda, fomitem suggerunt.

## §. 15.

Prudentius, me judice, agunt, qui comedendi carnis muriaticis, aliquantulum ante præparationem in aqua simplici maceratis, quoties scilicet temporis, loci, & maximè crumenæ conditio, aliæque circumstantiæ permittunt, acetaria, ex herbis ac floribus refrigerantibus, acidulis, & acrisbus antiscorbuticis, v. g. floribus borraginis, buglossi, herba endiviae, lactucæ, cochleariae, nasturtii hortensis & aquatici, acetosæ, acetosellæ &c. more consveto parata, vel etiam embammata ex semine sinapi &c. simul adponunt, aut vina, præprimis acidula Rhena- na, ut & acetum, succum citri, limoniorum &c., aqua dilutum, superbibunt. Singula enim hæc sal-sedinet nimiam temperant, liqamen corruptum corrigunt, putredinem, à freqventi alioquin harum carnium esu in corpore metuendam, arecent, & digestionem præterea adjuvant.

Plura de natura ac minus salubri carnium mu-  
C ria-

riaticarum indole, indeqve derivandis morbis proponere possem: Ne illis tamen, qui earum esu impensis delectantur, omne solatium eripiatur, aut scrupulosi, & de conservanda sanitate sua anxiè solicitati, iis planè inter venena locum, quem nondum merentur, assignent, filum abrumpere & dissertatiunculae imponere placet

F I N E M.

## COROLLARIA.

- I. Carnium esum post cataclysmum demum invaluisse probabile est.
- II. Optima esculenta vegetabilia optimis esculentis animalis prosapia semper preferenda sunt.
- III. Alimenta vegetabilia, quando in ventriculo ob debilem digestionem corrumpuntur, plerumque aescunt, animalia vero in putredinem ruunt.
- IV. Iuscula ex plantis & plantarum partibus, temperata mucilagine instructis, majori, quam gelatinosa animalia, salubritate pollent, & egris ideo, scabie, scorbuto, febre maligna, aut alio morbo, ex acri ac semiputrida humorum dyscrasia promanante, laborantibus, melius, quam illa, conducunt.


V.

V. *Moderatus salis culinarii usus homines à scorbuto  
præservat, abusus contramultum ad ejus genesin & in-  
crementum confert.*

VI. *Acidula optima constituant pharmaca antiputredinosa.*

VII. *Tinctura fuliginis CLAUDERI tutum scorbuti reme-  
dium neutiquam estimandum est, dum, oborta pridem  
bumorum putredine, plus ad incrementum, quam decre-  
mentum illius confert.*





**S**ür Dein, Gelehrter Freund, so eifriges Bemühen,  
 Wil Dich Hygea ist zum Doctororden ziehen.  
 Ich wünsche Glück dazu, und daß durch deinen Fleiß,  
 Zu Deinem eignen Ruhm, und zu der Heilkunst Preis,  
 Sich unter deiner Hand so Tod als Krankheit schmiegen.  
 Der Höchste sei mit Dir und helfe sie besiegen.  
 Sei ferner noch mit Kunst dem Freunde zugethan,  
 Der gleiches Glück mit Dir zum Theil erzehlen kan.

Hierdurch suchte dem HochEdl. und Hochgelahrten  
 Herrn Vertheidiger, zu seiner anzutretenden  
 Doctorwürde, seine Verbindlichkeit und schul-  
 dige Ergebenheit zu bezeugen

**A. G. W. Bülow,**  
 ss. Th. C.

**G**o sollen werther Freund, die wohlgelehrten Gaben,  
 So Du erlanget hast, den Lohn des Fleisses haben:  
 So wird Dir wohlverdient der Zierath aufgesetzt,  
 Deswegen iedermann Dich nun als Doctor schäzt.  
 Wolen, ich wünsche Dir das angenehmste Glücke,  
 Und alles Wohlergehn, das man in diesem Stücke  
 Von Herzen wünschen kan; Hilf Gott, daß es geschicht!  
 Und daß des Höchsten Mund das Almen darzu spricht.

Mit diesen schlechten Zeilen wolte dem HochEdlen  
 Herrn Doctorando seine Ergebenheit zeigen,  
 Desselben aufrichtiger Freund und Diener

**J. G. Schier.**  
 aus Crossen in Schlesien.



01 A 6505

f



nur 10. Stck 7A-706  
bisher verkaugt

KD 18 WDT



# Farbkarte #13



40.  
CIO INAUGURALIS  
TICO - MEDICA  
BENS NONNULLA  
DE  
**RAVO**  
**M MURIATICA-**  
**UTRIMENTO.**

QVAM  
NI NUMINIS AUSPICIIS  
OSÆ FACULTATIS MEDICÆ

RÆS IDE  
**CARTHEUSER,**

ET PROF. PUBL. ORD.  
T. SUÆ h. t. DECANO

**ADU DOCTORIS**  
LEGITIME IMPETRANDO

I. JULII MDCCXLIV.

H. L. Q. C.  
ERUDITORUM EXAMINI  
SUBMITTET

**F RIDERICUS BAUTZE,**  
Crosnâ - Silesius.

---

*FURTI ad VIADRUM,*  
ARTINI HUBNERI.